

Disco Les 24 - Extra Tekst

Scipsit Alexius *mense Ianuario 2020

Circum Britanniam est mare. Britannia insula est, non procul a Gallia. Temporibus Caesaris haec magna insula erat terra Romanis ignota. Alii dicunt Graecos et Carthaginienses iam antea in Britannia fuisse, alii id negant. Galli autem Britannos iam noverant.

Caesar quoque volebat Britanniam cognoscere. Putabatne se magnam insulam provinciam Romanam facere posse? Primum expugnavit Britanniae minimam partem. Deinde necessitatis militaris causa Romani in Galliam redierunt. Anno postero in Britanniam redactus, exercitus Romanus subiecit maiorem partem insulae quam antea. Romani autem non in Britannia manebant.

Principes Augustus et Tiberius postea non temptaverunt Britanniam partem imperii Romani facere. Ut mox legetis (in capitulo 27), post Tiberii mortem Caligula quattuor annos princeps Romae fuit. Ille Britanniam expugnare volebat.

Milites ad oram Galliae adducti in Britanniam abituri erant. Numquam autem trans mare transierunt. Copiae deinde in castra redactae sunt.

Post Caligulae mortem Claudius ipse quoque mortem suam exspectans subito princeps factus est. Ille cum multis militibus Britanniam invasit et magnam insulae partem expugnavit.

Maxima insulae pars provincia Romana facta est. Britanni subiecti cives Romani facti sunt. Anno 401 autem exercitus Romanus in alias partes imperii redactus est, et Britannia denique liberata est.

Postea Britannia regnavit maria atque ipsa imperium magnum condidit. Anno 1973 Britannia in societatem Europaeam intravit. Sed hanc fabulam scribens, mense Ianuario anni 2020, video Britannos ex societate Europaea exituros esse. Estne fuga aut necessitas? Estne iter ad maiorem civitatis Britanniae valetudinem? Alii flentes abituri sunt, alii gaudentes. Quid fiet? Tempora futura exspectabimus.

Verba et nomina nondum nota

mensis Ianuarius m –

de maand januari

Britannia, ae v – Groot-Britannië

mare, maria o – zee

Carthaginiensis, is m – Carthager

Britannus, i m – Britanniër

princeps, ipis m – *hier*: keizer

imperium o – *hier*: rijk

capitulum o – hoofdstuk

trans + *acc.* – over

transire – oversteken;

naar de andere kant gaan

ipse, a, um – zelf

societas, atis v – gemeenschap;

bondgenootschap

Europaeus, a, um – Europees